Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-724437-p0001-5

71
Bél 81

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-724437-p0002-1

Szabó III. 4614
42

Q. D. B. V.

# VOTA PROPEMPTICA,

QVIBVS

VIRVM

NOBILISSIMVM, ERVDITISSIMVMQVE,

DOMINVM

# MATTHIAM VVISSNOVVSKIVM,

TEVTO-LIPSCHA

LYPTOVIENSEM HVNGARVM,

SS. THEOL. STVDIOSVM INDEFESSVM,

AD

CAPESSENDVM MVNVS PVBLICVM,

ABSOLVTIS, EX ACADEMIA VITEMBERGENSI, STVDIORVM RATIONIBVS

ad D. XII. Auguſti cIↄ Iↄcc VII.

IN PATRIAM REVERSVRVM,

BENEVOLENTIAE TESTANDAE CAVSA

PROSEQVVNTVR

PATRONI, PRAECEPTORES, FAVTORES, CIVES ET AMICI.

---

*IMPRESSVM VITEMBERGAE* in Saxonibus,
TYPIS IOANNIS HAKII, Typothetae.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-724437-p0003-6

ISter perfuſas ut ſangvine devehat undas,
Muſa tamen ripas, relligioque colit.
In patrias haec Te vult ipſa redire miniſtrum
Oras, in queis Te munera digna manent.

I. B. Wernher, D. *p. t. Acad. Pro-Rector.*

---

VAde bonis avibus, Te expectat patria dulcis,
Munus ſit fauſtum, quod dabit alma Trias.
Quot numerare potes culmos hoc tempore meſſis,
Tot Te fortunae munera grata beent.

*Scribeb. Wittembergae*
Caſpar **Löſcher**/ D.

---

I, quo Te fatum revocat, doctiſſime Panno,
Strenuus ac urge relligionis opus.
Non hoc impediet ſanctiſſimus Induperator,
Quando Carpathiis pax erit alma iugis.

*Amico et Auditori ſuo ſolertiſſimo bene precatus dabat*
Io. Georg. Neumannus, D.

---

I pede felici: melioribus utere fatis:
Salvus et in patriam, quam meditare, redi!

*Auditori ſuo per-induſtrio bene precaturus ſcrib.*
G. Wernsdorfius, D.

---

PAnnonicos utinam pax alma reviſeret agros,
Et ſocias veri ſtudio coniungere dextras
Tenderet! ut ſeries melior ſuccederet aevi.
O quam felici fluvio decurreret Iſter!
Quam faciles Panno ſentiret Numinis auras.
Tu patrios age, VVissnovvski, Clariſſime, lares
Dum repetis, redeas, redeas precor, omine fauſto.
Surgat Alethaeae vis enthea, candida ſurgat
Irene, Hungaricis exoptatiſſima terris.
Sic Te, Praeconem pacis, verique tuentem
Soſpitet incolumem Deus, et feliciter ornet.

*Clariſſimo D. Matthiae Wissnowsky, Auditori ſuo induſtrio ac S. Ordinis Candidato, in patriam reditum molienti fauſta quaevis precatur*
Val. Ern. Loeſcherus, D. P.P.

---

QVam bello Patriam turbatam, non ſine luctu,
Linquebas, haec ſit pace beata precor.

Caſpar Henricus Horn, D.

---

I nunc, quo Te fata vocant, quo gloria ducit,
Atque labore Tuo praemia digna cape!

*Votum*
Mich. Henr. Gribneri, D. P.P.

---

EXtera Te fecit Sapientem Muſa laborque:
Hinc potes in patrium iure redire ſolum.
Sit felix abitus: virtutis praemia ſumas:
Vtilis afflictae ſis Patriaeque tuae.

*Doctiſſimo et Clariſſimo Viro, Amico percaro, felicem in Patriam reditum et fortunatum ſancti muneris auſpicium ex animo precatur*
Io. Gothofredus Bergerus, D.

Te

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-724437-p0004-2

TE vocat omnipotens Deus atque Ecclesia Sacra,
Hinc gratus capias munera tanta Dei.
Is Tibi ſit clemens, Te dirigat atque gubernet,
Vt coetum Chriſti paſcere rite queas.

*Ita animitus vovet*

Chriſtianus Vater, Phil. et Med. Doct. Prof. P. et Phyſ. Provinc. Saxon. nec non S.S. Princip. Anhalt. Medic.

---

HActenus albis amore ſuo complexus Alumnum,
Sic ſaveat poſthac Hungara terra TIBI.

P. G. Sperling, D. P. P. et Arch. Anh.

---

ITo, Care mihi WISSNOWSKY, Civis amande:
Felix ad patrios ito, redito lares.
Ito: Tuae capias tandem Virtutis amoenos
Fructus, quos reduci Patria cara dabit.

*Honori abeuntis Doctiſſimi Dni WISSNOWSKY, Conterranei et hactenus Auditoris ſui aeſtimatiſſimi, dedit*

Io. Baptiſta Roeſchelius, SS. Theol. D. et Profeſſ. Extraordin. Phyſices Ordinarius, h. t. Decanus.

---

MATTHIAE VVISSNOVVSKIO,
Lyptovienſi Hungaro,
In patriam bello civili multum devaſtatam,
in purioris coetus ſolatium nutu et iuſſu
Patronorum abeunti ſeqq.
ὁλοψύχως gratulatur
Io. Chriſtoph. Wichmannshauſen,
LL. OO. Prof. Publ.

ERgo cruentatas civili ſanguine terras,
Et patrii repetes perdita rura ſoli?
Fata vocant: pietas cum relligione vocatum
Sancta iubet Stygio bella movere gregi.
I, fuge, bella para: paritur victoria bello,
Auſpice, fac, pugnes Numine, Victor eris.

---

INgenium Pallas divinis Artibus auxit,
Dogmata coniunxit cum Pietate Deus.

*L.M.Que Auditori ſuo dabat*

Georg. Frid. Schroeer, Log. et Metaph. P.P.

---

DVm Patriam repetis, Sacrisque vocare docendis,
Scilicet in medios cogeris ire rogos.
Aetneos Fratres non tantus territat ignis,
Pannonios quantus depopulatur agros.
Fide DEO, cunctos qui vertit Numine caſus,
Conſulet hic Patriae: conſulet Ille Tibi.

*Viri Doctisſimi et ob multa honeſti moris ornamenta ſibi percari reditum in Patriam votis ſinceris proſequitur*

Io. Guilelmus Bergerus, P. P. et Alumn. Electoral. Ephorus.

---

Te benedictio, WISSNOWSKY, divina coronet,
Aſſiduus Tibi ſit tempore quoque Comes.
Fuaſtus iter capias, dulcem Patriamque coruſcam
Pace bona videas, ceu bona verba volunt.

Sicque DEI, fidei commiſſum, ſangvine Chriſti
Partum, divino dogmate paſce Gregem.

*In benevolentiae et memoriae fidem Amico quadrato et Auditori benevolo dabat*

Georg. Gvil. Kirchmaierus, Graec. Lit. P. P.

---

PArca et inops quamvis nobis ſit vita, domusque
Anguſta et cenſus ſit licet exiguus,
Multa tamen bona, divitias et habebimus amplas,
Si fuerit curae cultus amorque DEI:
Si timor illius cordi non excidat, et ſi
Mens fuerit iuſſis obſequioſa piis:
Denique ſi vitiis et crimine libera ab omni
Claruerit factis vita probata bonis.

*His Virum Optimum Doctiſſimumque Dn. Matthiam WISSNOWSKIVM, afflictum ſane, et fortunae bonis deſtitutum, erigere, omnibusque, qui litterarum ſtudia exornant, commendare voluit*

Henric. Leonardus Schurzfleiſchius, I. V. D. Hiſtoriarum P. P.

---

PRopitios egomet Tibi comprecor ipſe viales,
Laetus et in patrios regrediaris agros.
Namque aliquem capiet Virtus pro tempore fructum:
Maior erit, quando tempora pacis erunt.

*Eruditiſſimo Dn. WISSNOWSKIO, Auditori ſuo ſolertiſſimo, Fautori honoratiſſimo, in dulciſſimam Patriam, confectis ſtudiorum rationibus, reverſuro, auſpicatiſſimum iter pariter atque uberrimos doctrinae, in Germania comparatae, fructus proventusque, ex animo apprecatur*

Io. Andreas Planerus, Prof. Publ.

---

AD patrios iterum Tua fers veſtigia vultus,
Dum Cives urgent aſpera bella Tuos.
I modo, nec Temet venturas differ in horas,
Namque brevi dignum Te ſtola pulchra teget.

*Nobiliſſ. Dn. VVissnowsky, Auditori ſuo perquam induſtrio bene ominabundus ſcripſit*

Henricus Ludovicus Wernher, Moralium Prof. Publ.

---

I comitante DEO, Tua coepta ſecundet IOVA:
Reddatur Patriae paxque ſalusque! VALE.

*Deproper.*

L. Io. Hieronymus de Wedig, Archi-Diac.

---

MEnte, redux, inſtructus, quae modo conſcia recti;
Dogmate cum puro, cetera ſperne lubens.

*L. M. Q. dedit, fauſtum ac felix iter apprecatus*

M. Auguſtus Wolfius, Eccleſiaſtes.

---

ESt honor, in portum cum puppis ab aequore venit;
Eſt, ſtudii metam tangere, magnus honos.
Cura Tibi quod prima fuit pertendere doctus
Ad Muſas: Muſae dant reperire decus.
Atque dabunt maiora: Tuum ne deſine curſum
Vrgere, et pulcras impiger ire vias.

*Pio voto ſcribebat*

M. Io. Michael Reismannus, Eccleſiaſtes.

TEmpus adeſt meſſis; fructus dat vinea et hortus,
Campi cum ſylvis, pecora, prata, viri.
Tu quoque vis Patriae fructus deferre laborum?
Nil metuens ferto: Te feret Ipſe DEVS.

*In honorem Clariſſimi VIRI appoſuit*

M. Io. Henricus Reiſmannus, Diac.

---

QVas Tibi noſtra dedit praeclaras Leucoris artes,
In Patriam dulcem Tu modo ferre cupis.
Qvam felix ut conſpicias, pia nuncupo vota,
Atque Tuis rebus proſpera cuncta precor.

*Hisce Auditorem atque Amicum ſuum ſuaviſſimum, Patriam inclytam repetentem, dimittere, benignamque ſui memoriam commendare voluit*

M. Erneſtus Chriſtianus Schroedterus, Witteb. Sax. Ordinis Philoſoph. Aſſeſſor.

---

PErquam ſit felix abitus, reditusque beatus
In Patriam: patriae commoda mille feres.

*Scribebam L. M. Q.*

M. Paulus Bergerus, Fac. Phil. Aſſeſſ.

---

NOn duntaxat nunc, ſed et olim tempora dura
Compertum eſt mentes discruciaſſe bonas.
Ille Sophos, victum cupiens curare diurnum,
Hauſit nocturno tempore laſſus aquas.
Nec Te, WISSNOWSKY, melior fortuna manebat,
Ex quo Te tenuit *Leucoris alma* ſinu.
Attamen, en! quartum ſuperaſti fortiter annum,
Incumbens ſtudiis nocte dieque bonis.
Iam patriam felix repetas, cui commoda multa
Accumules parto dogmate, rite precor.

*DEum ducem, genios bonos Comites itineris candide apprecans, appoſui*

M. Georgius Michaelis Caſſai, Hung.
Ampliſſimi Ordinis Philoſoph. Aſſeſſor.

---

EIn wohlgeſetzter Geiſt ſcheut keine trübe Zeit/
Er bleibet/ wie ein Felß/ gantz unempfindlich ſtehen:
Ein Helden-gleicher Muth acht keine Härtigkeit/
Wenn Winde/ Blitz und Sturm auch durcheinander gehen:
Kein grauſer Donner-Knall/ kein Wetter/ Hagel/ Regen/
Kein Ungewitter kan Ihn ſtöhren und bewegen.

Wer ſich/ Geehrter Freund/ mit Dir nur faſſen kan/
Erwartet/ biß auf Duft die heitre Sonne ſcheinet:
Er ſieht den Unglücks-Stern mit tapfern Augen an/
Und lacht/ wenn Jener Noht und Ungemach beweinet:
Bald nimmt er freudig an die unvergnügten Blicke/
Bald/ wenn auf Ungeſtüm folgt tauſendfaches Glücke.

Dergleichen prieſe ſchon von Dir Peuckeri Hand/
Drum muſte Langius auff ein ſchön Zeugniß dencken:
Dich lobte Maturin in Deinem Vaterland/
Weil Deinen klugen Sinn kein Leiden konte kräncken:
Vorauß/ da Frömmigkeit und Fleiß in grünen Jahren
Sich mit Beſcheidenheit und Treue wolten paaren.

Was an Dir Pilarik und Kermann gutes kennt/
Hat unſer Wittenberg mit ſüſſer Luſt empfunden:
Wer wie Du/ Werther Freund/ ſich einen Chriſten nennt/
Und ſich unausgeſetzt mit Tugenden verbunden/
Des edler Nahme muß durch Lufft und Wolcken dringen:
Ja/ Ihm wird alles wohl/ und aber wohl gelingen.
Auch ſelbſt Dein Abſchied muß mehr/ als beglücket ſeyn!
Der Himmel laſſe doch die Reiſe Dir gerahten!
Er gönne fort und fort erwünſchten Sonnenſchein/
So wird das Hunnen-Reich erheben Deine Thaten.
Zeuch hin/ Geliebter Freund/ Gott müſſe Dich begleiten!
Ein Kermann wird daſelbſt Dir einen Sitz bereiten.

M. Gottfried Victor Moehring/ der H. Schrifft Candid. und Ord. Phil. Adi.

---

SIc eſt: diſcedis, FAVTOR, comitante Supremo,
Auguror inde, TIBI proſpera quaeque dabit.

*Fortunatum in Patriam reditum gratulatur*

M. Auguſtus Müller, Fac. Phil. Aſſeſſ.

---

SIc abit, et noſtris Wiſsnowski emittitur oris,
Wiſsnowski, Charitum Pieridumque decus.
Leucoris, ah! valeas, plorat, ſuaviſſime Fili!
Ah! decus ipſe meum, vive diuque vale!
Liptovia alma ſatum, quem nobis ipſa dediſti,
Amplexare Tuum candide docte pium.
Sit, Tibi qui ſummae eſt teſtis pietatis et artis,
Det Deus! et pacis nuncius ipſe Tibi.

*Ita Praenobiliſſ. atque clare doctum Dn. VVissnowskium, Amicum ſuum ſincere candidum et Fautorem candide venerandum in cariſſimam patriam abeuntem pie proſequitur*

M. Io. Georg. Hocheiſen, SS. Theol. C. et Philoſ. Fac. Aſſeſſor.

---

COllaudat *Viteberga* voce magna
Cum dotes animi potentiores,
Artis tum ſtudium laborioſae,
Et vitam ſapientibus probatam,
Ac teſtatur honore Te eſſe dignum.
Hinc poſtquã venerat repente fama
Ad natale ſolum, cupit fovere
In complexibus et ſinu paratas
Artis divitias labore multo,
Vtendoque famem ſedare iisdem.
Idcirco Euſebie *Tuos* honore
Crines, dum vocat, expolire geſtit,
Concedendo *Tibi* ſacram Tiaram.
Nunc ito, precor, Angelo ſodali
Inviſum patrios *Tuos* penates,
Felix vive, *Tuaque* macte laude,
Et reſtingue ſitim famemque eorũ
Summi verba Dei docendo dextre,
Ac aurum fidei tenax tuendo.
Tandem ſis animo valens per omne
*VVissnowsky*, ſpaciũ. Vale! precabor!

*Metrum hoc Catullianum Clariſſimo Domino Wissnowsky abitum ex hac Academia meditanti, uberrimos ſtudiorum ſuorum fructus in patria reportandos apprecatus ſcribebat*

M. Gvilelmus VVilckius, Facult. Philoſ. Vitemb. Aſſeſſor.

---

DVm ſoſpes patrios meditaris adire Penates:
Felix ac tutum vovet et optat iter.

*Nob. Dno VVissnowsky, Fautori ac Amico ſuo addictiſſimo IstbaeC pIa aC DeVota Mente apponebat*

M. Io. Georg. Leutmann, Paſtor Dabrunenſium prope Vitembergam

An-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-724437-p0008-4

Angelus omnipotens CHRISTVS, cui tradita cuncta,
Atque Mahanaim, ſint Tua caſtra, precor!
Haec Tua praeſidia, haec comites, ac omnia in omni
Re, mi Wissnowsky, caetera mitte DEO.

*His paucis Clariſſimum Civem ſuum Amicumque inter paucos aeſtimatiſſimum comitari, prout voluit, ita etiam debuit, atque poſt exantlata tot aſpera, quaeque proſpera L. M. Que vovet*

M. Samuel Coryli, Poet. Laur. Caeſ.

*Natione Hungar. antehac Sereniſſ. Princip. Schvartzburg. Informator, nunc Paſtor Iechenſis, iuxta Sondershuſam.*

---

ProteCtor noſter DeVs MIſerICors!

*Carpathici montes* tranſcendunt *nubila* cuncta,
Altior *Europae* vix datur *Orbe* locus.
*Athera* nam *Coeli* pulſant radiantia *cautes*,
Perpetuis *nivibus* tecta *ſub axe* iacent.
*Liptovienſe ſolum* concluſum *montibus iſtis*,
Queis *caput* erexit *Krivan* in alta volans.
HEROAS genuit multos, vaſtosque *Gigantes*,
Atque *Palatinis* praebuit ille locum.
Ille *Viros claros* dedit, et *Virtute coruſcos*,
*Myſtarum*que *choros* cum *pietate gravi*.
Vt demireris tantos e *montibus* iſtis
*Alpibus* et *ſylvis* proſiliiſſe Duces.
Fit *Natale ſolum VVissnowski Lipſcha* Vetuſta
*Matthiae*: quondam *flava metalla* ferens.
In *Patria* didicit verae *pietatis amorem*,
Aſſiduo ſtudio volvere *Scripta DEI*.
Deſidiam, luxum, fugiens quam fortiter hoſtes,
Artibus ingenuis excoluitque caput.
*Leucoridum* tandem *peregrinus* viſitat *oras*
*Praeſide* tunc *SPERLING Magnifico*que *Duce*.
Ingenium *Sophiae*, Vitam *Virtutibus* almis
Tradidit, *in ſcriptis Philoſophum* recubans.
*Virtutem* comitatur *Honos*, *Virtute* probatus
Scandit honorifice ſumma *theatra Deae*.
Excitat e *ſilicis* latitantem viſcere flammam,
Saepius ad *lapidem* fortius icta *chalybs*:
Excitat egregias *Virtus* intermina mentes,
*Corda*que *coeleſti* plena *Virore* facit.
Quae ſemel in *rutilas* velut ardeſcentia *flammas*,
Fortia cum *monſtris bella ſacrata* gerunt.
Ad *Patrios* properare *lares Suprema Voluntas*
Iuſſit, et attribuet *pulpita Sacra Domus*.
Vt doceat *populum* moeſtum, de ponte cathedrae,
Diſtribuat cunctis *dogmata ſancta DEI*.
Et *fidei* ad *normam Scripturae ſenſa* revelet,
Detegat ac *Satanae ſchismaticos*que *dolos*.
Vade, precor, *ſoſpes*, felicibus utere fatis,
Sit *CHRISTVS JESVS*, *dux*que, *Comes*que, Viae.

*Per-Eximio et Praeſtantiſſimo Domino Matthiae VVissnowsky, Amico et Populari ſincero, in Patriam properanti, memoriae et benevolentiae cauſa* ὁλοψύχως καὶ ἐκ καρδίας *appoſuit*

Chriſtophorus Parſchitius, Roſobergenſis, antea Scholae Schemnicienſis Rector, nunc pro gloria DEI, per XVI. annos, Exul.



Ger-

GErmanos linquens, *VVissnowsky*, *Civis amande*,
Mecum concelebres Sanctiſſima Numina ſupplex,
Vt pax Pannonicis terris fauſtiſſima quaevis
Afferat, ac Patriam bellorum turbine preſſam
Soletur Summus! vives ſic ipſe quietus.

*Non carmine, affectu tamen prolixo apponebam*
Daniel Roxerus, Durando-Scepuſius, Illuſtris Scholae Serveſt. apud Anhalt. Cantor.

---

Dich rufft das Vaterland / daß Du magſt drinnen lehren /
Deß Höchſten Ehr und Ruhm mit allem Fleiß vermehren:
So zieh' beglücket hin / und traue Deinem Gott /
Auf den verlaſſe Dich in aller Deiner Noth.

Glück und Segen wünſchende ſchrieb dieſes in Eyl
M. Jeremias Pilarick / Hung. Sch. Opp. Coll. V.

---

WISSNOWSKI, aeternae quaerens praeconia Famae,
Diſcere miſſus, agit.
Creſce DEO, Patriae: Tu nil mediocre futurus:
Sedula Progenies,
Te Doctore dabit multos Eccleſia fructus,
Quot gerit Aſtra polus.

*Amoris et honoris ergo Clariſſimo atque Doctiſſimo Dn. Conterraneo ut et Auditori ſuo in dilectam Patriam abiturienti apponere voluit*
M. Iohannes Heyl, Zakolcza Hungar.

---

PErge bonis avibus felix, et praemia ſume,
Quae Muſis tribuet Patria grata tuis.

*Hisce brevibus Nobiliſſimo Doctisſimoque Dno Matthiae VVissnowskio, Liptovienſi Hungaro, felicem in Patriam reditum apprecari ſuamque memoriam commendare debuit*
M. Abraamus Vater, Med. Stud.

---

DVm Patriam repetis turbatam tempore belli,
Oſtendis, quam ſit dulce ſolum Patriae.
Ergo diſcedas felix, ſvavisſime Amice,
Et Patriae triſti commoda multa feras.

*Ita Deum propitium ſucceſſusque exoptatiſſimos apprecatus ſcrib.*
M. Ioannes Sculteti, Modera - Vngarus.

---

ITo bonis avibus, quorſum Te fata vocarunt,
Et virtute Tua munera digna cape!
Vt tanto Virtus meruit mactetur honore,
Teſtantur Patres ac ſtudioſa cohors.
Ito: divitias verbi depromito laetus:
Eſto memor noſtri foederis usque. Vale!

*Non-moriturae amicitiae* τεκμήριον
M. Chriſtiani Friderici Kranewitteri, Chemnicio-Miſnici.

---

SPectaſti, Civis, clarorum tecta VIRORVM
Finibus emenſis maiori parte Sicambri.
Non Te JENA latet, non LIPSIA, JVLIA, FRANCKFVRT,
Non HALA Saxonum Pietaſtro Academia clara.
Quid? non ALBIACAE Muſis Illuſtre Theatrum,
Quae Magni tumulata recondidit oſſa LVTHERI.
Sed revocaris: iter ſuſceptum carpito felix!

*Doctrina, moribus a virtute Clariſſimum Dn. Matthiam VVissnowskium, Amicorum integerrimum et Commilitonem meum aeſtimatiſſimum comitari L. M. Que voluit, debuit*
M. Io. Godofredus Lehmannus, Sora-Luſatus, SS. Theol St.

Felix,

FElix, qui Socium ſibi ſolum adiungit IESVM:
Is poterit ſumma proſperitate frui.
Hic ut nunc, olimque, Tibi det gaudia magna,
Nam Sociorum ullus talia dare nequit.

*Haec Commilitoni atque Conterraneo meo Clariſſimo, nec non inter paucos chariſſimo, in perpetuam amicitiae memoriam ſincere appoſuit*

M. Michael Lange, Hungar. Scepuſiio Wogendriſſelius, SS. Theol. Stud.

---

I, bone, carpe viam, Divino Numine tutus:
Et ſalvus tandem patrios attinge Penates.

*His paucis Clariſſimo Doctiſſimoque Dn. WISSNOWSKI, Amico ſuo integerrimo, felicem in Patriam reditum,*

pIa et sInCera Mente aDpreCatVr

M. Georgius Schultzius, Köbena Sileſius, SS. Theol. Stud.

---

DEin Schluß/ Hochwerther/ iſt: Ich will von hinnen ziehn!
Was Wunder? daß bey mir ſich Luſt in Angſt verkehret?
Was Wunder? daß man nichts/ als bange Worte höret?
Bey Deinem Abſchied muß zur Klag' ich mich bemühn.
Jedoch/ was klage ich? der Höchſte will Dich führen!
So wirſt Du Wohlergehn nebſt Glück und Seegen ſpühren.

Zu rühmlichſt vollbrachten ſtudien gratulirte von Hertzen

Johann Heinrich Haferung/ Craia-Thur:, Phil. et S. S. Theol. Cult.

---

PRaemia nunc capias, Wiſnowski, parta labore,
Sis ſemper felix, omnia vota fluant.

*συγχαίρων appoſVIt AMICo CorDato*

Io. Daniel Boernerus, SS. Theol. et Phil. Stud.

*Arnſtadia-Thuringus.*

---

EXoptate dies, quo nutu Numinis Almam
An Patriam tendis, WISSNOWSKY, ut Sacra parares;
Ingreſſus fauſtus, progreſſus atque coronis.

*ἀπὸ χαρᾶς ſcribebat*

Beniaminus Henricus Boernerus, SS. Theol. et Phil. Studioſus.

*Arnſtadia-Thuringus.*

---

ADe zu guter Nacht/ du Edler Muſen-Ort/
Du weit berühmter Berg mit deinen Pierinnen/
Leb immer immer wohl/ ich ſcheide nun von hinnen/
Sey allezeit beglückt/ dieweil ich reiſe fort.
Ich ſcheide/ lebe wohl/ weil mein Thun iſt verbracht
Auff dieſen Muſen-Berg/ Ade zu guter Nacht.

Dieſes ſchrieb ſeinem werthgeſchätzten Herrn Landsmann bey ſeinem Abſchiede

Samuel Azmann/ Schemnicienſis Hungarus, SS. Theol Cult. und der Zeit der Wäyſen Kinder/ in Grauen Kloſter zu Wittenberg/ beruffener Informator.

---

DVm remeas, et commoda ferre cupis ſtudiorum,
Apprecor, ut ſvavis pax redeat Patriae.

*His paucis Clariſſimo Dn. Civi et Commilitioni iam iam diſcedenti feliciſſima quaeque vovet*

Paulus Simonides, Radvanens Hungarus, Phil. et S. S. Theol. Cultor.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-724437-p0011-0

DOnec albêſcant ſegetes amoenae,
Atque demeſſae veniant in aedes,
Grandines, ventos, pluvias, pruinas
Experiuntur.
Et Studens multos variosque caſus,
Frigus, et ignem, fera bella, morbos,
Antequam ad metam veniat paratus
Corpore perfert.
Vera narrari, bonus haud negabit
MATTHIAS VISSNOVSKIVS, iſta narret,
Qui, DEO, felix, Duce, liberatus,
Tot mala vicit!
Aſt iter longum in Patriam datur? Sit.
Supplica: fortes comites dabuntur
Angeli. Laetus faciem videbis
Credo Penatum.

*Clariſſimo Doctiſſimoque Domino Populariet Amico candido, felix iter precatus, candida mente, et manu amica dabat*

Martinus Regis, Nagy-Bobroviczeno Liptovienſ. Hung. SS. Theol. Stud.

---

LIpſcha dedit vitam, vitae Viteberga nitorem,
Quae patriae gaudent nomine rite duo.
Fert utrumque ſuum: verum ſi dicere fas eſt,
Palma Vitembergae iure ſacranda datur.
Haec etenim Visnay quinquenni menſe Magiſtra
Extitit, unde ſibi conciliavit honos.
Nunc ſtudio repetit natale Virum decus, alma
Quem Viteberga lubens ire, valere iubet.

*His Nobiliſſimum Clariſſimumque Civem teſtandi amoris cauſa ultimo coboneſtandum eſſe duxit*

Iohann. Thurzo, Hung. Hloza-Trenſchinienſis, SS. Theol. et Philos. Cultor.

---

AOniis poſtquam multum verſatus in hortis
Es, licuitque ſacro fonte levare ſitim,
Iam Patrias cultus properas inviſere terras,
Poſſidet ut quas mens ſedula, promat opes.
Quas dedit aſſiduo Pietas non victa labore,
Dotibus ingenii conſociata Tui.
Afflictos placido geſtis ſolamine Cives
Mulcere, et dictis exhilarare piis.
Gratulor hinc, et vota fero: Tutore Iehova
Ad patria ut ſoſpes Tecta redire queas.
Hactenus et Cathedram Lutheri qui veneraris,
LVtherI teneas DogMata CLara PatrIs.

*Haec Praeſtantiſſimo Domino Wiſſnowskio, Fautori et Amico ſuo optimo, cum omnigenae proſperitatis voto dabat*

Bartholomaeus Filkenius, Schaesburgo Tranſylvan. S. S. Theol. et Philoſ. Stud.

---

PAnnonicas rigidus Mavors dum ſaevit in Arces;
WISSNOWSKI in Patrio cur cupis eſſe Solo?
Fallor, an Ipſe dein ſpectabere miles in armis?
Fallor, vel tacito pectore bella paras?
Bella paras, miſerae ſed non nocitura cohorti,
Bella, geri Sanctus quae iubet Ipſe Deus.
I, felix igitur Summo Duce Numine, quaeque
Triſtia diffugiant, proſpera fata vide.

*Hac amoris teſſera Nob. Commilitonem proſequi voluit*

Michael Thays, Cibinio Tranſylvanus, S. S. Theol. et Phil. Stud.

(o)

*Errata. loco a virtute, legatur ac virtute, loco vello, bello.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-724437-p0012-6

Ung VI 4

(x 2743293)

ULB Halle 3
006 310 079

WO 17
W 18

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-724437-p0013-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-724437-p0014-7

Szabó III. 4614 42

Q. D. B. V.

# VOTA PROPEMPTICA,

QVIBVS

VIRVM

NOBILISSIMVM, ERVDITISSIMVMQVE,

DOMINVM

# MATTHIAM VVISSNOVVSKIVM,

TEVTO-LIPSCHA

LYPTOVIENSEM HVNGARVM,

SS. THEOL. STVDIOSVM INDEFESSVM,

AD

CAPESSENDVM MVNVS

PVBLICVM,

ABSOLVTIS, EX ACADEMIA VITEMBERGENSI,

STVDIORVM RATIONIBVS

ad D. XII. Auguſti cIↄ IↄccVII.

IN PATRIAM REVERSVRVM,

BENEVOLENTIAE TESTANDAE

CAVSA

PROSEQVVNTVR

PATRONI, PRAECEPTORES, FAVTORES,

CIVES ET AMICI.

---

*IMPRESSVM VITEMBERGAE*, in Saxonibus,

TYPIS IOANNIS HAKII, Typothetae.